

tanto crudelius tentationes exercet, vt qui se continuo damnandum conspicit, socios sibi multiplicet, cum quibus gehenna ignibus addicatur. Potremo ipsa fides ingenti laude esse digna comprobatur pluribus rationibus, videlicet quia excedit omnem rationem, sicut patet de fide Abraham, qui Deo quod in senectute decrepita filium haberet, pollicenti credidit, & Sarra, quæ fidei virtute in cõceptione feminis accepit, & præter tempus ætatis, quoniã fidelem credidit esse eũ qui repromiserat. Quia excedit omnem comprehensionem, testant scriptura, quæ ait, Vere tu es Deus absconditus. Et alibi, Deum nemo vidit vnquã. Nam & Deo credit, qui sanctis suis credit, in quibus loquitur Deus. Propterea qui de credulitate inuisibilium solidum non est, debet proculdubio maiorum dictis fidem præbere, eisque per spiritum inuisibilem experimentum habentibus credere. Nam stultus est puer, si matrem de luce ideo putat mentiri, quia ipse nihil aliud quàm tenebras carceris nouit, quia excedit omnem aliam cognitionem, dum attingit fides, quod nõ capit intellectus. Et quid est quod nõ inueniat fides. Attingit inaccessa, deprehendit ignota, comprehendit immensa, apprehendit nouissima, ipsãque æternitatem suo vastissimo sinu complectitur. Quia docet rudem cõditionem, id est humanam. O thesaurus omnibus opulentior fides, o virtutibus corporeis omnibus fortior, omnibus medicamentis salubrior, beati qui possident te. Notandum autem quod duo sunt necessaria ad hoc, vt firmiter credatur. Primum est illustratio veritatis animam eleuans, secundum est rectificatio autoritatis instruentis animum, quorũ vnum est per fidem, alterum per scripturam autenticam, & per Spiritũ Sanctum editam. Autoritas ergo præbet fulcimentum fidei, & fides assentit autoritati. Vtrunque verò per Christum est, propter quod & splendor, & verbum dicitur, quia mentem per fidem illuminat, & veritatem per doctrinam offendit.

Quantã bona homini augeantur, & quantum proficiat homo ex fidei virtute. CAP. V.



Sicut ex cibi sumptione nutritur, crescit, & roboratur corpus, sic ex fidei abundantia, & claritate coalescit, atque ad perfectionem ascendit spiritus. Ex qua consideratione vt interior homo cõcupiscat hanc, & ea studeat repleri, nunc de ipsius multis utilitatibus fidei loquendũ est, quia tanto audius esca sumitur, quanto a letudini corporis utilior esse dignoscitur. Et quis digne multiplices huius virtutis facit poterit utilitates. Nam plurimæ sunt, nec tamen silentio tegenda. Fides est lux splendens in corde illam possidente, & est lux præcedens intellectũ, quia intellectus est merces fidei. Est plane mentium illuminatiua, viatum Dei ostensiuã, & dubiorum omnium manifestatiua. Est etiam viuã, fida, & salutaris columna deducens per desertum mundi huius, ostendens ipsum esse plenum malitia, vbi sunt omnia vitiosa, omnia lubrica, cuncta operata tenebris, & obsessa laqueis, vbi periclitantur animæ, & affliguntur corpora, vbi omnia vanitas & afflictio spiritus, vbi finis dubius, & exitus est horribilis. Ipsa quoque fides sicut Sol in Meridie, ita fulget in mente, tribuens ei quadruplicem proficiam cognitionem. Conferat nanque homini cognitionem, à quo est, ne sit ingratus de tanto beneficio.

Hæc ignorantia perniciofa est, adducens secum ingrati tudinis morbum, quæ ingratiudo est inimica animæ, exinamito mentiorum, virtutum dispersio, beneficiorum perditio, ventus vrens, licca fontem pietatis, rorem misericordia, & fluẽta gratia. Quanto enim maiora beneficia homini conferuntur, tanto grauiora ingrato supplicia tribuentur, quia nihil miserabilius eo, cui collata dona sine gratiarũ actione à memoria excidunt. Tribuit quoque fides homini cõgnitionem sub quo est, id est Dei, ne sit inutilis, & sciat Deum glorificare, quia ipse summe potens est, & summe iustus. Magnus (inquit Dauid) Dominus, & magna virtus eius, & magnitudinis eius non est finis, quam noticiam per fidem meretur homo. Donat etiam fides cognitionem, ad quod sit homo, vt sciat actus dirigere. Qui enim ignorat se peregrinari à Domino, fide caret, & qui hanc peregrinationem pro patria diligit, profecto inter dolores dolere nescit. Sed & fides inexercitata cito languescit, & crebris tentatur incõmodis. Remissa excubias calidus insidiator irrumptit. Assuetum autem bello virum hesterna virtus inlruit, & gloriose prouehit ad palmam victoriæ. Fides quoque hominis, vitam militiam esse super terrã certã definitione docet. Ingerit præterea fides noticiam supra quod est homo, vt sciat inferiora ordinate amare. Qui enim fide caret, omnia terrena vt propria possidet. Sed profecto terrena diuitiæ nostræ non sunt, ideo nõ in ipsis ponamus cor, quoniam teste scriptura, quum interierit homo, non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria domus eius. Tunc autem veraciter locuples diuitias suas secum ferret, si ad parentis vocem quum viueret, erogaret. Nam terrena omnia quæ seruãdo amittit, largiẽdo custodit. Fides etiam est lucerna hominis, stella matutina, & corona radiosa, de qua quinq; radij luminis viui fluunt super intellectũ, scilicet timoris, conijlij, prudentia, intellectus, & scientia. Ipsa est causa amoris, quia opus fidei amor est, quem fides concipit, spes parturit, Spiritus Sanctus format & viuificat, lactat lectio, meditatio pascit, & oratio confortat, & illuminat. Hæc sancta fides à triplici morte liberat scilicet culpæ, de qua dicitur, Per misericordiam & fidem purgantur peccata. Temporalis, quia tantam gratiam Deus præstitit fidei, vt mors, quæ constat vitæ esse contraria, instrumentum fieret, per quod tranliretur ad vitam. Et æterna, de qua dicitur, Omnis qui viuut & credit in me, non morietur in æternum. Fundamentum est omnium bonorum fides, quoniam omne quod non est ex fide, peccatum est. Propterea videtur ruinam querere, qui sine fide vult ædificare, nec stare poterit ædificium, quod absque fide fuerit fundatum. Hominem quoque fides facit Dei Filium. Nemo enim sine fide ad filiorum Dei potest peruenire numerum. Cuncta bona ante fidem inania sunt, sed & bonum opus intentio facit, intentionem fides dirigit. Tale quippe est, vt sine fide vera quis velit Deo placere, quale si quis tandens ad patriam, ad quam scit se optate venturum, relinquat itineris rectitudinem, & improvidus sectetur errorem, quo non ad beatam vitam perueniat, sed in præcipitum cadat, vt non gaudium peruenienti detur, sed cadenti interitus. Vincit fides mundum, & omnia quæ in mundo sunt, scilicet delicias, dum ostendit corpus nostrum morti esse

Esa. 45.
Ioan. 1.

Psal. 144.

Psal. 44.

20

30

40

50

60

Ioan. 11.
Rom. 14.

est